



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

27 Familiam armatam, quòd Episcopi habeant, Principibus saecularibus non debere esse molestum multis rationibus comprobatur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

27. Neque Principibus, ꝛ Dominis, Magistratibusque Christianis molestum esse debet, quod Episcopi habeant familiam armatam, quæ requiritur, ut qui virtutis amore in officio religionis homines se continere nolunt, saltem formidine peccati à malo arceantur; quia omnia tendunt ad conservationem regnorum, & dominiorum in obedientia suorum Principum, cum nunquam reperiatur, quod qui spiritualiter bene vivunt, sint participes criminum lese majestatis, nec causa seditionum, cum moneantur, quod, qui resistunt potestati, Dei ordinationi resistunt, & damnationem sibi acquirunt; & Principes non esse timori boni operis, sed mali; & quod, qui non vult timere potestatem, bonum faciat, & laudem ex illa habebit. Necessariumque homines subditos esse oportere, 28 non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam, & Principes ministros Dei esse, reddendaque omnibus esse debita, cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal; cui timorem, timorem; & cui honorem, honorem; ut scripsit Paulus *ad Rom. cap. 13.*

Roganturque, ut corripiant inquietos, consolentur pusillanimes, & omnes sint patientes, idem *ad Thessalonic. 1. cap. 5.* docentur etiam obedire Præpositis suis, & 29 eis subjacere. Idem Paul. *ad Hebr. cap. ult. simo*, obsecrantur quoque omnes, subditos esse omni humanæ creaturæ propter Deum, sive regi, quasi præcellenti, sive Ducibus, tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum, quia sic est voluntas Dei, Petrus Apostolus lib. 1 epist. 2 & contrafacientes per exequutores ipsos justitiæ de mandato Episcoporum carceribus mancipantur, &

& pœnis etiam relegationis plectuntur, ut per gloss. *in cap. attendendum, 17, q. 4.* gloss. *in cap. hi qui, in verb. Exilio, 3, qu. 4.* & verberationis, ut *in cap. contra idolorum, ubi etiam gloss. 26. quæst. 5.* & damnari possunt: ex quibus inferitur à concessione antecedentis, quod argumentum validum est in jure, *l. qui procuratorem, dat. ff. de procur. cap. præterea, de offic. deleg.* quod, cum Episcopis sit concessum familiam armatam habere, carceribus mancipare, verberibus afficere, relegare, & in exilium mittere, ut etiam habeant territorium pro eis capiendis, in exilium transmittendis, ac relegandis est censendum, *d. cap. præterea, de offic. deleg. l. 2, de jurid. omn. jud. & ibi Jason. num. 2. de Morsil. sing. 175.*

28 Quod autem ꝛ Episcopus habeat territorium, probat expressè text. *in cap. omnes Basilica, 16, quæst. 7.* & *Abb. in cap. cum ab Ecclesiarum, ubi tenet, quod nullus, præter Episcopum, de jure communi habet territorium in diœcesi, unde tota diœcesis est territorium Episcopi in spiritualibus, n. 10, in fine, de off. ord. & facit cap. 2. de constit. in 6. & Port. in cons. 99, nu. 34.* qui etiam post gloss. *in cap. 1, in ver. sacularium, 36, dist. 8, cap. de persona.* ubi gloss. *in ver. aut. 11, quæst. 1.* & ꝛ Episcopum corporum, & animarum judicem esse, *cod. cons. num. 15.* comprobanturque præmissa generali consuetudine, qua omnes Episcopi ad executionem tam personalem, quam realem, & tam contra laicos, quam clericos per totam diœcesim liberè, sine alicujus licentia, vel mandato, pro causis ad forum ecclesiasticum spectantibus procedunt, quæ consuetudo est optima legum interpret, & ab ea recedi non potest.